

non solum extrinsece assistat effectui a se producto, sed intime sit in illo, quia ipsum esse, quod est intimum in effectu derivatur universalissimo modo, et secundum omnimodam dependentiam a Deo, et non per solam immutationem subjecti, sed per talem influxum, quod ejus suspensio sit annihilatio, et ideo non sufficit contactus extrinsecus ad talem effectum, sed intimus. Unde totum quod est in effectus, tam externum, quam intimum universalissimo modo est a Deo.

XXIII. Ad ultimum respondetur satis ostensum esse in præcedentibus, quod Deus proprie non potest agere per virtutem a se diffusam, quia virtus diffusa est effectus Dei, et aliquid creatum, et a tali virtute creata non potest procedere aliquis influxus totius esse, taliter quod ejus suspensio sit annihilatio.

XXIV. Et ad id, quod objicitur de virtute instrumenti moti a Deo, vel virtute, qua Deus movet causam secundam, respondetur hanc virtutem non esse illam, qua Deus operatur ex parte sua modo universalissimo, sed esse virtutem, quæ simul est effectus, qua causa inferior, vel instrumentum actuatur a causa superiori, quia causa subordinata alteri in agendo, sive sit principalis sive instrumentalis non potest operari, nisi ex motione talis causæ. Sed tamen hæc virtus cum sit recepta in causa inferiori non est ipsa virtus Dei, sed effectus ejus. Et licet instrumentum per talem virtutem possit operari effectum proprium virtutis infinitæ Dei, sicut suscitare mortuum, aut producere gratiam, non tamen potest producere effectum proprium virtutis infinitæ ex parte modi universalissimi operandi, quia virtus universalissimo modo procedens non potest esse, nisi increata. Si autem sit recepta, et modificata in aliquo creato, hoc ip-

so habet limitatum modum procedendi, nec potest dare totum esse, ita quod per ejus suspensionem aliquid annihiletur, bene tamen poterit communicari virtus ad quemcumque effectum per transmutationem, et actionem eductivam faciendum, et sic potest Deus uti creatura, tamquam instrumento ad resuscitandum mortuum, vel producendum gratiam, quia utrumque fit per transmutationem alicujus subjecti, vel materiæ, non tamen poterit uti instrumento ad creandum, vel annihilandum, ut docet D. Thomas I p. q. XLV, ar. v et III p. q. XIII, ar. II. Unde præter virtutem quam Deus imprimi instrumento ad producendum gratiam, vel alium effectum requiritur, quod in ipsum effectum influat immediate per se ipsum conservando illum in esse tali influxu, quod per ejus suspensionem possit annihilari, et istam conservationem non potest Deus facere mediante instrumento, vel virtute aliqua creata diffusa extra se, ut ostensum est, licet possit primo educere de subjecto aliquam formam superiorem mediante instrumento creato.

XXV. Quod si inquiras, ad quid ergo deservit illa communis distinctio de agente immediato immediate virtutis, vel suppositi, respondetur per hanc distinctionem designari conjunctionem agentis cum subjecto, vel effectu, quod dupliciter fieri potest, uno modo, quia ipsa substantia, vel suppositum agentis ita est conjunctum passo, vel effectui, quod non mediat alia substantia, vel suppositum; alio modo quia virtus agentis ita conjungitur passo, vel effectui, quod non mediat alia virtus, ita quod non agit in virtute alterius, etiamsi mediet alia substantia, vel suppositum, per quod diffundatur illa virtus. Unde nihil aliud est immediatio virtutis, quam

quod virtus agentis sit propria illius, et immediate illi conveniens, licet extra se derivetur per aliquod subjectum, seu spatium, sicut sol agit in ista inferiora immediate virtutis, et non suppositi, quia ejus substantia non est conjuncta istis inferioribus, bene tamen virtus, quæ est propria, et immediata solis derivatur ad hæc inferiora, et mediante illa agit. Ignis vero generans alium ignem in materia sibi proxima per suam substantiam, et per suam virtutem illi conjungitur. In Deo autem ex ipsa immediate virtutis qua agit, optime colligitur, et non solum supponitur immediatio, et indistantia suppositi, quia ita operatur universalissimo modo in omnes res, quod omnes sunt effectus ejus dependentes ab eo quoad influxum ipsius esse, ita quod per suspensionem ejus possunt annihilari, et virtus sic influxiva, et annihilativa non potest esse creata, et extra Deum diffusa, sed ipsa substantia Dei, et sic immediatio talis virtutis, et suppositi in Deo est idem. Et licet concurrat cum causis creatis imprimendo illis virtutem, quæ est recepta in illis, tamen præter hoc etiam in ipsum effectum debet influere ad conservandum illum in esse, et idem facit in omnia alia entia, quia omnia sunt effectus ejus, et talis influxus facit Deum esse indistantem a quacumque creatura.

ARTICULUS II.

Utrum esse sit proprius effectus Dei?

I. Ratio dubitandi ad hoc reducitur, quia agens creatum vere, et proprie producit suos effectus, alias incideremus in absurditatem illorum qui dicebant causas secundas nihil omnino agere, sed Deum ad illarum præsentiam, ergo vel causæ secundæ producunt ali-

quid, vel nihil non agunt; si aliquid, ergo ponunt rem extra causas, cui autem convenit ponere rem extra causas convenit existentiam producere, quia effectus formalis existentiae est ponere rem extra causas. Cui ergo convenit effective facere talem effectum formalem, effective convenit facere ejus formam, sicut cui convenit facere effective album, effective convenit attingere id, quo aliquid est album.

II. Nec potest dici, quod agentia creata non producant existentiam, sed uniunt illam essentiæ, et hoc sufficit, ut dicantur producere rem in esse, sicut homo generans hominem non producit formam, sed unit illam. Contra enim est, tum quia ipsa unio debet produci a causa secunda, alias si nec unionem produceret, nihil produceret, ergo saltem ipsi unioni productæ debet dare esse. Quod si dat unioni, cur non aliis entitatibus? Tum quia existentia non potest uniri, sicut aliæ formæ, quia omnis unio formæ creatæ, vel est per inhærentiam, vel per dependentiam a subjecto, quam Deus potest supplere separando formam a subjecto. Existentia autem neque est forma informans, neque inhærens, alias non posset Deus existentiam creatam per suam supplere, quod negat D. Thomas III p. qu. XVII, art. II et posset conservare existentiam sine essentiæ, quod tamen stare non potest. Et hoc ideo est, quia existentia non habet speciem, et limitationem, nisi per principia ipsius essentiæ, ad quam pertinet reductive, de se enim correspondet enti, ut ens est, ergo non dicit entitatem se orsum constitutam, et unibilem ipsi essentiæ ad modum formæ supervenientis, vel inhærentis, ut bene notat Cajetanus super caput IV de ent. et essent. qu. V. Forma autem humana ideo unitur a generan-

te, quia generans producit omnes dispositiones, quæ ex parte materiæ requiruntur, ut infundatur anima, non potest autem ad existentiam præsupponi aliqua dispositio ex parte essentiæ, mediante qua uniatur, cum ante existentiam nihil præsupponatur, quo possit disponi ad talem unionem, ut docet D. Thomas in III dist. II, q. ar. II et dist. XIII, q. III, ar. I et cum eo doctores III p. q. VI, ar. VI, sed omnis dispositio est ad formam substantialem, et mediante illa ad existentiam.

III. Nec potest iterum dici, quod causa secunda producit quidem existentiam, sed in virtute Dei. Contra enim est, quia hoc est commune omni agenti creato respectu cuiuscumque effectus sibi proprii sicut lux est effectus proprius solis, et calor ignis, et tamen non possunt istos effectus producere, nisi in virtute Dei moventis, et concurrentis, ergo licet agens creatum producat esse in virtute Dei, non minus propter hoc erit effectus ejus, quam omne aliud, quod ab ipso producit. Et in hoc consentit D. Thomas qui sæpe docet, quod producere esse est commune omni agenti, ut in quæstione VII de potent. art. II et V de verit. art. IX et III contra gent. cap. LXVI et LXVII, ergo non est proprius effectus Dei.

IV. Nihilominus propositio posita verissima est, quod esse est proprius effectus Dei, licet de ejus sensu varia sint placita auctorum. Prima ergo explicatio est m. Curiel, in suis opusculis, controvers. V, art. II, n. XIV, qui distinguit in illa propositione duos terminos, scilicet esse creatum, et ly proprius effectus. Et dicit, quod esse creatum sumitur a D. Thoma non solum pro esse existentiam, sed etiam pro esse essentiæ, et universaliter pro omni ratione entis participati, non quidem absolute, sed secundum eam rationem,

qua participatur a Deo. Et per ly effectum proprium intelligit effectum adæquatum, et quasi formale objectum specificativum virtutis activæ, et est idem, quod effectus per se primo alicujus causæ, qui dicitur fieri per se primo, quia non accidentaliter fit, aut ex consecutione ad illud resultat. Et sic est sensus, quod quicumque gradus, modus, aut entitas est proprius effectus Dei, in quantum ut ens per participationem significatur, si enim per se primo est aliquid factum a Deo.

V. Ratio autem hujus expositionis est quia ubicumque D. Thomas tractat hanc propositionem, quod esse est effectus Dei semper comparat causalitatem Dei ad alias res tamquam forma participabilis respectu eorum, quæ sunt participata, sicut ignis respectu igniti, et lux respectu illuminati, ut constat in articulo præsentis, et infra, q. XLV, art. V ad primum et q. CIV, art. I, ergo signum est, quod D. Thomas intelligit quod esse est effectus proprius Dei sub hac formalitate, scilicet, ut derivatur per participationem a Deo, et cum non solum esse existentiam, sed etiam esse essentiæ sit derivatum a Deo, utpote jus participativum, recte intelligitur propositio D. Thomæ de utroque.

VI. Hæc explicatio Curiel vera quidem est, ut statim exponetur, in duobus tamen videtur diminuta. Primo, quia non explicat formaliter mentem D. Thomæ qui probat, quod esse est effectus proprius Dei, quia Deus est ipsum esse per essentiæ, sed hoc intelligitur de esse existentiam, hoc enim est proprium Dei, quod essentialiter, seu per essentiæ sit ipsa existentia, ergo quando infert, quod esse est proprius effectus Dei, loqui debet de esse existentiam, quia hæc proprie soli Deo convenit per essentiæ in quo distinguitur a reliquis entibus creatis,

et sic, ut consequentia D. Thomæ sit formalis, et bona, oportet illam intelligere de esse existentiam, quod sit proprius effectus Dei. Secundo, quia licet tam esse essentiæ, quam existentiam sint participationes Dei, tamen esse essentiæ non participatur actualiter a Deo, nisi ut subest existentiam, sine illa enim est nihil, ergo in ipsa existentiam expressius, et actualius relucet propria ratio effectus divini, et participationis Dei. Hoc ergo restat explicare in sententia Curiel, quomodo esse existentiam sit magis proprie effectus Dei, quam esse essentiæ, quia sine existentiam, essentiæ non est effectus nisi in potentia.

VII. Secunda explicatio est Cajetani in præsentis qui quidem supponit, quod loquitur D. Thomas de esse existentiam, et explicat illum terminum proprius effectus in hoc sensu, quod existentiam sit effectus immediatus a Deo secundum immediationem agentis, et verificatur a Cajetano hoc modo, quod esse sit effectus immediatus Dei, quia solus Deus potest facere omnia, quæ exiguntur ad hoc, ut aliquid existat, quia omnis res vel est materialis, vel immaterialis. Si materialis ad ejus esse exigitur materia, quæ a solo Deo immediate creatur, et conservatur. Si immaterialis tota substantia ejus est a Deo creante, et conservante, et sic invenitur Deus immediatus immediatione suppositi respectu omnium rerum tam materialium, quam immaterialium.

VIII. Hæc explicatio habetur in D. Thomæ III contra gent. cap. LXVIII, ratione V. Cæterum neque ab ipso, neque a Cajetano inducitur tamquam adæquata ad explicandam universalem præsentiam, et intimam penetrationem Dei in omni ente. Constat enim quod non minus dependet a Deo forma, quam materia, nec minus Deus est in illa,

quam in materia, et ita dependet forma a Deo, quod etiam potest per subtractionem influxus ejus annihilari, non quod distinctam existentiam influat Deus in formam, et materiam, et compositum, sed quia illa eadem existentiam omnes illas partes afficit, et potest Deus per suspensionem influxus inadæquate sumpti annihilare unam, et non aliam subrogando, vel concreando aliam formam, ergo oportet, quod non solum ex eo, quod creat materia, sed etiam ex eo quod dependet ab illo forma, et quæcumque entitas sit intime tam in materia, quam in forma, quia esse profundius omnibus inest. Quare D. Thomas in illa ratione solum nititur ostendere Deum habere quidem immediationem suppositi ad omnes substantias creatas, non tamen modum intimum contactus divini in illa ratione explicat, sed in aliis.

IX. Tertia explicatio est ejusdem Cajetani infra q. XLV, art. V, §. Ad evidentiam, qui explicat ly proprius effectum non pro effectu immediato, id est, solum procedente a Deo, sed pro effectu per se Dei, et in solum Deum per se primo reducibili. Itaque etiam causæ creatæ producit esse, ut ibi ostendit Cajetanus, non tamen producant esse, ut causæ per se primo illius, sicut aliud est producere calidum absolute, aliud per se primo, aqua enim calefacta producit calidum, non tamen per se primo, sed ignis. Et D. Thomas nunquam dixit, quod esse est effectus solius Dei (quod valde est notandum) sed quod esse est effectus proprius Dei, sicut ignitum est effectus proprius ignis, non tamen repugnat, quo ferrum ignitum producat ignem in stappa, sed non erit effectus proprius et per se primo ferri igniti, quia non reducit ultimate in ipsum ferrum etiam ut ignitum, sed in ipsum ignem, a quo

ferrum ignitum est; sic existentia producit quidem a creatura existente, non tamen tamquam proprius effectus ipsius, et per se primo ipsius creaturæ etiam ut existentis, sed ut reducibilis in primum existens, a quo creatura existens redditur.

X. Et plenior hujus explicationis intelligentia inde constare potest, si advertamus quod sicut in prædicatis formalibus aliquid est conveniens per se primo, et secundum quod ipsum, aliud autem conveniens per se, sed non secundum quod ipsum, nam animal v. g. convenit homini per se, et essentialiter, sed non primo, et secundum quod ipsum, quia non convertibiliter cum homine, sed communiter cum aliis animalibus. Rationale autem convenit homini secundum quod ipsum, quia convertibiliter cum ipso, et non convertibiliter cum aliis, quæ est expressa doctrina philosophi 1 poster. cap. v, ubi videri potest Cajetanus et ibi D. Thomas, lect. xi et ii, contra gent. cap. xv. Ita proportionabiliter loquendum est de prædicatis illis in quantum sunt ratio, et principium efficiendi, forma enim principium est agendi, et ille effectus, qui correspondet rei secundum illud prædicatum, quod illi convenit per se primo, et secundum quod ipsum dicitur effectus proprius illius causæ, quia procedit ab agente secundum rationem illi propriam, quia ut docet S. Thomas 1 part. q. xli, art. v, illud est ratio agendi alicui generanti, in quo genitum assimilatur illi, quia omne agens intendit producere sibi simile, unde ratio producendi est ratio assimilandi effectum agenti. Si ergo ratio producendi se habeat ut proprie, et per se primo conveniens agenti, effectus quoque ex illo derivatus dicitur effectus proprius, et per se talis agentis. Igitur existentia in rebus creatis solum se habet ut conditio agendi, non ut ratio, quia

in omni re creata accidentaliter se habet, et non ut forma constituens naturam, cui assimilari debet effectus, solus autem Deus habet existentiam non ut conditionem, sed ut formalissimam rationem constituentem ens increatum, et intrinsicam deitati. Ergo nulla existentia correspondet creaturæ tamquam proprius effectus, sed solum correspondet Deo, quia existentia non est propria forma, et per se primo conveniens alicui creaturæ, est autem conveniens Deo essentialiter.

XI. Hæc explicatio est D. Thomæ in pluribus locis, sed præsertim videri potest iii contra gent. c. lxxvi, ratione ultima, et q. vii de potent. art. ii, ubi inquit: « Quod cum proprius effectus producat ab aliqua causa secundum propriam naturam vel formam, diversæ causæ habentes diversas naturas, vel formas, oportet quod habeant proprios effectus diversos. Unde si in aliquo effectu conveniunt, ille non est proprius alicujus earum, sed alicujus superioris, in cujus virtute agunt. Omnes autem causæ creatæ communicant in uno effectu, qui est esse, licet singulæ proprios effectus habeant: calor enim facit calidum esse, et ædificator domum esse: conveniunt ergo in hoc quod communicant esse sed differunt in hoc, quod ignis causat ignem, et ædificator domum, oportet ergo esse aliquem superiorem omnibus, cujus virtute causent esse, et cujus esse sit proprius effectus, et hæc causa est Deus. » Ubi D. Thomas non negat etiam causas creatas producere esse, si quidem dicit hoc esse commune omnibus, sed solum affirmat, quod esse est proprius, et per se effectus Dei.

XII. Quod si dicas: Nam etiam ipsum vivere, et intelligere sunt propria forma, et natura Dei, et tamen non reducuntur omnes effectus

vitæ aut intelligentiæ in Deum, tamquam proprii effectus, in propriam causam, ergo ruit doctrina allata, respondetur quod vivere, et intelligere conveniunt cum existentia in hoc, quod sunt de conceptu essentiæ Dei, in quantum dicunt rationem actus puri, sed differunt in participatione, quod intellectivum, et vivens participatum, et creatum habet se in creaturis, ut gradus essentialiter constituens, existentia autem semper se habet ut forma accidentaliter conveniens, non ut prædicatum essenziale. Unde nunquam potest existentia reduci in creaturam tamquam effectus proprius, quia nunquam existentia se habet ut forma propria, et essentialis creaturæ, effectus autem intelligendi, et vivendi modo creato possunt esse effectus proprius creaturæ, quia pro essentiali forma constituente habet formam vitalem, et intellectivam.

XIII. Nec obstat, quod dicit D. Thomas 1 p. q. l, ar. iv, quod esse per se convenit formæ, sicut rotunditas circulo. Id enim intelligitur juxta Cajetanum ibidem, quod convenit per se formæ perseitate physica, non metaphysica, id est, convenit formæ ut subordinatæ agenti: agens enim per se producit formam, et mediante forma esse, non mediante materia, comparative ergo ad materiam per se convenit formæ. Et ut amplius indicat ipse D. Thomas 11 contra gent. c. lv, esse per se convenit formæ quasi passive, non quasi active, id est, forma habet se tamquam ratio suscipiendi esse ab agente non ab ea oritur esse, sicut diaphano per se convenit luce, supposita illuminatione luminosi, tamquam proprio susceptivo lucis, et cum ultima dispositione per se connectitur forma tamquam cum habilitante materiam ad suscipiendam formam. Vel denique esse

sequitur ad formam per se non absolute, sed in quantum tale v. g. ad formam humanam sequitur existentia ut humana, id est, ut sic restricta, et limitata, et specificata.

XIV. Adhuc tamen dices: Cælum producit rationem corporis in his inferioribus tamquam effectum proprium, neque enim reducitur in aliam causam per se primo, et tamen forma corporis non est propria cælo, sed communis omnibus inferioribus, ergo falso dicimus, quod effectus proprius alicujus causæ est, qui correspondet ei secundum propriam formam. Respondetur quod ratio corporis dupliciter potest accipi, uno modo logice prout solum dicit substantiam trinæ dimensionis, et sic est prædicatum commune corpori cælesti, et elementali, et secundum hunc respectum corporis non est effectus proprius cæli, alias cælum causaret se ipsum, sed hoc modo reducitur in Deum, qui solus potest creare omnia corpora, ut ostendit Div. Thomas 1 p. qu. lxxv, articul. iii. Alio modo sumitur ratio corporis physice prout subest transmutationi, et motui, et hoc modo cælum habet rationem primi corporis, et primi alterantis, et hoc modo corpus est effectus proprius cæli non absolute, sed ut corruptibile, et alterabile.

XV. Ultima explicatio est, quod esse creatum est proprius effectus Dei non absolute, et quantum ad omnia, nec ut talis speciei, nec ut transmutabile est, sed in quantum communicabile per influxum totalem. Nam in ipsa existentia possumus considerare duo. Primo, ipsam rationem ultimæ actualitatis, secundum quam esse correspondet enti, ut ens est. Secundo, consideratur ipsa specificatio, et limitatio existentiae, secundum quam pertinet ad talem, vel talem naturam v. g. quod sit existentia lapidis, vel equi, homi-

nis, etc. ratione cujus una existentia distinguitur ab alia, et hanc coarctationem, seu limitationem habet existentia non ex suo proprio conceptu prout correspondet enti, sed prout correspondet tali enti, seu naturæ ad quam coarctatur, et limitatur. Dicimus ergo quod esse est effectus proprius Dei secundum rationem ultimæ actualitatis, et secundum universalitatem suam, qua correspondet enti, ut ens est; sed secundum id quod habet de restrictione, et specificatione ex parte talis, vel talis naturæ, cuius est esse: sic correspondet etiam agenti creato, quod producendo formam seu naturam producit etiam esse, ut restrictum ad talem formam. Et hæc explicatio sumitur ex D. Thoma, qu. ix, de potest. art. 1, in corpor. ubi inquit: « Quod causalitates entis absolute reducuntur in primam causam universalem: causalitas vero aliorum, quæ ad esse superadduntur, vel quibus esse specificatur pertinet ad causas secundas, quæ agunt per informationem, quasi supposito effectu causæ universalis. » Non est autem inconueniens, quod aliquis effectus secundum diversas considerationes respondeat diversis causis, et sic existentia secundum rationem actualitatis universalis, et communis omni enti, correspondet primo enti, secundum vero specificationem, et restrictionem suam, quam habet ex eo, quod est existentia talis entis, correspondet causæ secundæ productivæ talis entis.

XVI. Potest tamen adhuc profundius explicari ista differentia inter creaturam, et Deum quoad productionem existentiae ex parte modi operandi causæ creatæ, et Dei, nam prima causa est pure efficiens, sed efficit transmutando. Unde solum habet pro objecto id quod est producibile per transmutationem: esse

autem per se loquendo non est effectus, et terminus transmutationis, sed efficientiæ, et ita per se loquendo est proprius effectus pure efficientis, ex aliquo autem adjuncto est effectus transmutantis, scilicet ratione formæ, quæ per mutationem producitur. Et fundatur hæc explicatio in D. Thoma in ii, dist. xv, qu. 1, art. 11, ubi inquit: « Quod, duplex est agens, scilicet agens divinum, quod est dans esse, et agens naturale, quod est transmutans, et primus modus actionis soli Deo convenit, sed secundus modus etiam aliis convenire potest. » Ratio autem hujus est, quia illa forma per se est transmutabilis, seu per mutationem producibilis, quæ habet aliquam formam contrariam, vel privationem in materia, per cujus mutationem materia transeat de privatione ad actum. Esse autem loquendo per se non habet formam sibi contrariam, vel privationem, quia existentiae non opponitur aliud, quam nihil, est enim actus entis, in quantum ens, et pro effectu formali habet ponere rem extra nihil, ergo ex vi hujus conceptus, qui est proprius existentiae, ut existentia est non convenit illi produci per mutationem, sed per influxum Dei, per cujus suspensionem res reducitur in nihil. Ratione autem formæ, quæ producitur per transmutationem, etiam ipsum esse, quod consequitur formam, seu productionem ejus per transmutationem potest produci et attingi, licet dependenter ab influxu Dei. Et ratione hujus influxus ita habet Deus producere esse, quod ab unaquaque re debet esse se indistans, productio autem ipsius esse solum per transmutationem, et ut consequens ad formam transmutatam per se non requirit ad indistantiam agentis, sed per virtutem a se diffusam potest sic produci.

XVII. Ad rationem dubitandi a principio concedimus, quod esse etiam producit ab agente creato, ut a causa principali, et secundum virtutem agendi quam habet, licet specialibus modis correspondeat Deo, ita ut sit proprius effectus ejus, sicut explicatum est. Et inter animam rationalem, et existentiam est manifesta differentia, quod anima rationalis ita producitur a solo Deo, quod nullo modo etiam virtute Dei potest produci a creatura: existentia autem secundum Div. Thomam producitur ab agente creato saltem sub ratione transmutati, et secundum specificationem, quam habet a forma, et sic non solum unitur ab agente creato, sicut anima rationalis materiæ a generante, sed vere procedit ab illo, sicut etiam actus secundus operationis, licet excedat actualitatem potentiæ, seu actus primi, tamen vere, et proprie procedit ab ipso, ut actuato, et determinato per auxilium Dei, et non solum unit ipsam rationem actus secundi actui primo: sic philosophandum est de existentia, quæ est actus secundus entitativus, licet enim excedat actualitatem efficientis creati, vere tamen, et proprie procedit ab ipso, ut actuatur, et determinatur per concursum Dei, et non solum unitur essentiæ ab agente creato, præsertim, quia vix potest explicari quomodo fiat hæc unio non producendo simul existentiam, cum existentia ista sit terminus productionis in facto esse, seu ipsamet productio in facto esse. Unde non potest intelligi productio ut uniens existentiam, sed ut terminata per illam. Ac denique hoc urgetur, quia si existentia ipsa, seu forma, aut aliquid aliud ponitur tamquam dispositio, ut uniatur illi existentia, vel disponit ad existentiam ut posita extra causas, vel ut intra illas. Si ut intra causas non habet aliam dispositionem, quam

possibilitatem, et sic non magis disponit talis possibilitas ad unionem cum existentia, quam quidquid aliud quod est intra causas, omnia autem intra causas sunt nihil, et sic æque indisposita manet ad unionem existentiae quousque ponatur extra causas. Si autem forma disponit ad existentiae unionem prout extra causas, jam supponitur producta, et existens, et consequenter non disponit ad unionem, sed ipsa productione existentiae fit.

ARTICULUS III.

Utrum actualis operatio Dei sit ratio formalis præsentiae divinæ ad res?

I. Certum est in hac parte essentiam divinam per suam substantiam esse præsentem rebus tamquam per extremum hujus præsentiae, ipsa enim substantia Dei est, quæ dicitur præsens rebus, easque immediate, et intime tangere. Neque hoc est indecens divinæ substantiæ, ut aliqui inepte putarunt æstimantes Dei majestatem ex majestate regis humani, cui indecens esse in omnibus locis suæ ditionis, sed solum in curia sua. Hoc autem non potest competere Deo, qui cum sit principium totius entis, oportet: *Quod omnibus det esse, et vitam, et inspirationem, et omnia, ita ut in ipso vivamus, noveamur, et simus*, ut dixit Paulus, Actor. xvii. Itaque non debet Deus in hoc comparari regi respectu sui regni, sed animæ respectu sui corporis, non enim anima secundum suam substantiam minus est in capite, quam in pede. Deus autem non est quidem anima mundi informando, sed est radix totius creaturæ agendo.

II. Inquirimus ergo de ratione formali, qua ista substantia divina tangit res, quibus redditur præsens, sicut enim corpora redduntur præ-